

sionem tamen meriti non denegamus, unde et aureola quæ perditur ei correspondens, non tam præmium, quam extensio præmii est.

XX. Nec tamen ex hoc inferas, quod omne præmium accidentale in patria correspondet solum extensioni meriti, et non formali merito, nam etsi sufficiat extensio meriti ad aliquod accidentale præmium, tamen etiam intervenire potest meritum formale, ut quando aureola datur martyri propter actum externum adjuncto alio, in quo augetur, et variatur voluntas interior; vel etiam cum ex charitate exercentur aliquæ virtutes, ut eleemosyna, jejunium, etc. tunc charitati sic imperanti correspondet præmium essenziale, virtuti autem illi imperatæ præmium accidentale, et tamen etiam ut imperatus ille actus formaliter meretur, quia formaliter est bonus ex objecto suo proprio, ut talis virtus est.

XXI. De virginibus non currit tanta difficultas, quia virginitas non amittitur ex invita defloratione, sed ex voluntaria. Unde si quis voluntarie defloratur non est mirum quod amittat aureolam irreparabiliter, quia voluntarie sic fecit, et mereri illam noluit. Si autem per vim defloratur sine consensu, aureolam non amittit, sed castitas duplicatur ad coronam.

COROLLARIA EX DICTIS.

XXII. Colligo primum ex dictis, quomodo dicantur esse unum in bonitate, vel malitia actus interior, et exterior ut S. Thomas affirmat in quæstione xx, art. iii, ubi distinguit de actu exteriori, seu imperato, prout habet bonitatem propriam ex suo objecto, vel prout habet bonitatem participatam a fine, et ab actu imperante, seu ab intentione.

Primo modo est certum esse diversam bonitatem, vel malitiam in actu exteriori ab ea, quæ est in interiori, et sic qui furatur ut fornicetur, præter malitiam ex fine fornicationis habet malitiam propriam furti, neque de hoc potest esse difficultas. Secundo autem modo dicit D. Thomas esse omnino eandem bonitatem, vel malitiam, quæ est in actu interiori, seu imperante, et quæ est in actu imperato, quia est quædam extensio, et explicatio ejusdem malitiæ, non alterius, et ab interiori fit denominatio illa in actu exteriori. Cum autem actus ipsi entitative diversi sint, et in utroque actu non possit esse eadem forma, relinquatur explicandum, quomodo sit eadem malitia utriusque actus, præsertim cum una sit causa alterius, si quidem ex malitia interiori derivatur exterior.

XXIII. Nec potest interpretari D. Thomas dicendo, quod est una malitia specie, sed plures numero in actu interiori, et exteriori; tum, quia expresse D. Thomas contradicit huic interpretationi in eodem articulo tertio, solutione ad tertium dicit, quod quando unum derivatur ex alio, ut a causa univoca tunc aliud est quod est in utroque, sicut alius numero calor est calefacientis, et calefacti; quando autem derivatur aliquid ex alio secundum analogiam, vel proportionem, id est, per denominationem quamdam tunc, non est diversa forma in uno et altero, sicut ab eadem sanitate dicitur animal sanum, et medicina sana, et hoc modo se habet bonitas interioris actus. Tum etiam, quia si sunt plures numero malitiæ in actu interiori, et exteriori, unum non se habebit ut ratio alterius, neque alterum ut continuatio, et explicatio quædam illius, sed se habebunt sicut duo actus exteriores ejusdem speciei, verbi gratia, duo

furta, aut duo adulteria, aut sicut duo actus interiores ejusdem speciei: constat autem quod actus exterior, et interior ita connectuntur inter se, quod exterior consummat interiorem, et ejus moralitatem participat, habetque ipsum pro circumstantia finis, interior autem movet ad exteriorem tamquam ad effectum in quo consummatur, habetque illum pro circumstantia quid seu effectus. Ubi autem unum est circumstantia alterius, non constituit distinctam numero malitiam prout in se consideratam, et prout circumstat, et accidit alteri, sed eadem malitia quæ in se essentialiter consideratur alteri circumstat, et illud accidentaliter afficit, ergo ex hoc præcise, quod communicetur malitia interioris actus actui exteriori, non fit duplex numero malitia, sed eadem communicatur.

XXIV. Difficultas ergo est, quomodo sit una numero malitia, quæ istos duos actus distinctos tangit, et denominat. Respondetur quod licet Scotus in quodlibeto xviii, Gregorius in ii, distinct. xlii, quæst. v, et alii teneant esse distinctas malitias, quia putant quod ex uno actu in alium actum fit derivatio formalis, non denominativa tantum, eo modo quod causa efficiens derivat in effectum distinctam rationem ab ea quæ est in se; tamen D. Thomas in hac quæstione xx, art. iii, et Cajetanus ibi, Capreolus, et alii, et communiter Thomistæ tenent, ex actu in actum solum derivari malitiam, aut bonitatem, id est, regulationem moralem denominative, non formaliter. Ubi autem sit derivatio denominative, una forma numero sufficit denominare plura, quæ solum sunt plura entitative, non tamen denominative, et ita in genere morali semper manet illa forma una numero, licet in genere physico actus sint plures: sicut in genere ar-

tificiali fit unum artefactum numero, verbi gratia, una domus ex rebus physice multis, quia in ratione illius figuræ artificialis, et in ordine ad finem habitationis, unum sunt. Et in uno sacramento concurrunt plura physice diversa, scilicet res, verba, et in genere rerum plura diversa, et tamen in ratione sacramenti unum numero sunt, quia sunt unum signum sacrum. Sic actus interior, et exterior sunt physice plures actus, sed moraliter sunt unum in sua bonitate, vel malitia, quia eandem habent regulationem, et formam moris. Moralitas autem in regulatione consistit. Constat autem, quod si actus interior vult unum finem, verbi gratia furtum, et ex illo movet ad eligenda instrumenta pro furto, vel ad procurandam amicitiam cum alio a quo vult furari, quod illa electio mediorum non est aliud furtum, nec illa malitia regulabilis alia regulatione quam furti, neque charitas quando imperat eleemosynæ facit in illo actus eleemosynæ aliam charitatem. Ergo si eadem regulatio rationis sufficit ad regulandum actum intentionis circa finem, et applicationem ejus ad actum imperatum, eadem moralitas sufficit utrique actui, quia moralitas regulatio est; et ex alia parte est etiam idem voluntarium in utroque actu, ergo licet sit multiplex actus in entitate, tamen quia uniuntur, seu fiunt unum in participanda libertate, et regulatione rationis, dicuntur unum in genere morali, seu in genere regulabili.

XXV. Ut autem hoc melius intelligatur advertendum est, quod ab actu imperante bene potest derivari aliqua motio, et impressio realis in actum imperatum, quod utique sit per derivationem formalem, id est, diversum aliquem effectum producentem in illo: potest etiam fieri



aliqua derivatio denominativa, quatenus iste actus imperatus ex subordinatione ad actum imperantem, et ut deserviens illi participat secundo, et accidentaliter de malitia, aut bonitate ejus, et de eadem regulatione qua regulatur ipse actus imperans; hanc enim regulationem non participat actus imperatus formaliter, sed denominative, quia non immediate respicit illam regulam, ut exinde dicatur bonus, vel malus, sed respicit actum jam regulatum ab illa, et quatenus illi deservit denominatur ab ejus regulatione, eamque participat accidentaliter. Quod ergo detur aliqua impressio, et derivatio realis, seu formalis in actum imperatum ab imperante nos ipsi fatemur secuti sæpius illam sententiam, quod imperium non fit ab una potentia in aliam, seu ab uno actu in alium, nisi per impressionem, et motionem realem, non per sympathiam potentialium, sed quatenus ex ipso actu imperante relinquitur aliquis modus, vel motio in ipso principio elicitive actus imperati, per quam impressionem tale principium determinatur, et movetur ad eliciendum actum imperatum non absolute, sed cum respectu et ordine ad tale principium imperans, et ad finem ejus, ut late tradidimus in libris de anima, quæst. XII, art. VI et supra agendo de imperio.

XXVI. Cæterum impressio ista, et motio, et respectus ex illa ortus in actu imperato, licet ad hoc detur et ponatur, ut actus iste subordinatus eliciatur superiori actui imperanti, et quantum ad hoc fiat formalis derivatio, seu communicatio ab actu superiori in inferiorem, hoc est realis modus, seu effectus ab illo relictus in actu imperato, tamen hic modus et respectus, aut impressio illa quæcumque sit, non sufficit constituere actum imperatum bo-

num, vel malum moraliter, quia talis ordo et respectus formaliter loquendo est ad actum illum ut imperantem, et moventem, et impellentem ad actum illum inferiorem, non ad ipsum ut regulantem, quia actus ille non est lex, et regula, sed est actus in se regulatus, et subiectus legi, seu regulæ rationis, et sic ordo ad ipsum ut ad moventem, et imperantem, et subjicientem sibi alium actum, non est formaliter ordo ad ipsum ut ad regulam, et consequenter talis ordo formaliter non est bonitas, vel malitia moralis, quia ordo constituens formalem malitiam vel bonitatem est ordo conformitatis, vel difformitatis ad regulam rationis. Si ergo actus imperans, ut imperans et movens non est regula, sed regulatum, non potest ordo ad ipsum, ut ad moventem constituere malitiam, vel bonitatem formalem distinctam in actu imperato; ergo derivatio talis ordinis, et respectus non est derivatio formalis bonitatis, vel malitiæ, quæ est in actu imperante ad actum imperatum. Solum ergo potest deservire talis respectus et ordo ad hoc, ut ab ipsa bonitate, vel malitia quæ est in actu imperante tamquam ab extrinseca forma per quamdam extensionem denominetur etiam bonus, vel malus actus ipse imperatus: sicut ex eo quod in medicina datur virtus ordinata ad sanitatem animalis, potest talis medicina denominari sana extrinsece ab ipsa animalis sanitate; et ex eo quod aliquis habet modum ubicationis passivæ potest denominari a loco qui est forma extrinseca, ita quod alius sit virtus, respectus, vel modus qui intrinsece afficit subiectum, et ordinat ad extrinsecum, aliud forma ipsa denominans quæ extrinseca est; et licet multiplicetur respectus, vel ordo, non multiplicatur forma denominans utrumque, sicut in

aliis derivationibus denominativis patet; licet enim multiplicetur ordo, seu respectus ad sanitatem animalis in medicina, vel urina, aut in pluribus medicinis, non multiplicatur formaliter denominatio sanitatis, licet multiplicetur respectus, seu virtus medicinæ materialiter, et extensive. Et si plura corpora sint in eodem loco non multiplicatur denominatio a loco formaliter, licet ordo ad talem locum, et ubi passivum multiplicetur materialiter in illis corporibus.

XXVII. Dices: Actus imperatus in tantum participat malitiam a fine et ab actu imperante in quantum respicit illum finem pro circumstantia (finis enim una ex circumstantiis est) et rursum actus imperans in tantum participat de malitia actus imperati, in quantum respicit illum pro circumstantia quid, quæ est effectus. Sed respectus et ordo ad circumstantias, sicut et ad objectum est respectus intrinsece existens in actu, et non per solam extrinsecam denominationem: ergo qui communicat actui ordinem ad circumstantiam, communicat illi bonitatem, vel malitiam per derivationem formalem, non per denominativam. Ordo enim ad circumstantiam, et objectum malum non est tale per denominationem extrinsecam, sed per intrinsecum et formalem respectum, ergo qui communicat malitiam communicando ordinem intrinsecum ad objectum, seu circumstantiam malam, communicat formaliter non denominative, et sic non est eadem bonitas, vel malitia in actu interiori et exteriori.

XXVIII. Respondetur in primis hoc argumentum non currere in actu exteriori, qui est pure externus et sensibilis, qui licet ex imperio et efficacia voluntatis aliquam impressionem recipiat, non tamen habet

intrinsecam libertatem, neque ordinem ad objectum, et circumstantiam ut regulatam ratione, ut sæpe dictum est, sed per denominationem extrinsecam ad actum cui subordinatur, et a quo imperatur, ita quod ex eo quod ab illa bonitate, vel malitia talis actus recipiat denominationem.

XXIX. Loquendo vero de actu exteriori imperato, sed ab ipsa potentia voluntatis, vel appetitus elicitio, qui est capax veræ et intrinsecæ libertatis, et ordinis intrinseci ad objectum regulatum, et ad circumstantias, respondetur quod circumstantiæ sunt in duplici genere: quædam bonitas, vel malitia immediate tangitur ab actu, quia sunt propriæ sui objecti, et cum ipso objecto proprio talis actus ab eo respiciuntur et attinguntur: aliæ vero sunt circumstantiæ quarum bonitas vel malitia non attingitur immediate ab isto actu, sed mediante alio actu ad quem pertinent proprie, et immediate, sicut finis qui attingitur ab actu imperante et interiori, redditurque circumstantia actus imperati medians, quia imperatur ab illo superiori eique subordinatur; per se autem et proprie non est circumstantia sui immediati, et proprii objecti, nec immediate ab eo attingitur. Et idem est de bonitate actus exterioris, et imperati respectu interioris, quia est circumstantia per modum effectus, non tamen immediate affecta a superiori actu imperante, sed mediante actu imperato, cujus est propria illa bonitas circumstantiæ prioris generis attinguntur a suo actu sicut et objectum, per respectum formalem et intrinsecum et tales pertinent ad propriam bonitatem, vel malitiam ex genere, non ad participatam, et derivatam ab alio actu, et de his non loquimur in præsentia, ut supra diximus; hæc enim bonitas, vel malitia ex



genere addit in actu exteriori supra eam, quæ participatur ex fine.

XXX. Loquendo autem de circumstantiis secundi generis, illæ solum conveniunt exteriori actui imperato quantum ad malitiam, vel bonitatem denominative, non formaliter, quia non attinguntur immediate a tali actu, sed mediante actu imperante, cujus objectum sunt, et omnis bonitas vel malitia, quæ prius attingitur ab uno actu immediate, et per se, quia est objectum illius, vel ex parte objecti se tenet, deinde vero ab alio actu tangitur mediate, et supponendo esse attacham a priori actu, talis bonitas circumstat actum inferiorem denominative, non formaliter, quia non per respectum ad objectum, aut ad id quod ex parte objecti se tenet, qui est formalis et intrinsecus actui, sed per respectum ad alium actum a quo imperatur ei convenit; ab uno autem actu ad alium solum fit denominativa derivatio non formalis, sicut ab actu ad objectum ad quod tenditur per formalem, et intrinsecum ordinem.

XXXI. Colligitur secundo quid dicendum sit de eventu, seu damno consecuto ex actu exteriori, an videlicet ratione talis consecuti addat exterior actus malitiam, vel bonitatem. De hoc agit D. Thomas hic quæst. xx, art. v, et infra quæst. lxxiii, art. viii. Et docet, quod si eventus sequens est præcogitatus addit malitiam, vel bonitatem. Si vero non est præcogitatus, vel per se, et ut in pluribus sequitur ex tali actu, vel solum per accidens, et in paucioribus. Si per se sequitur, semper addit malitiam vel bonitatem, quia ille actus est pejor ex quo plura mala nata sunt consequi, et ille melior ex quo plura bona. Si autem per accidens sequitur, hoc non addit ad bonitatem, vel malitiam, quia illud quod est per

accidens, non cadit sub regula, ergo nec sub moralitate, quia hæc regulatio quædam est.

XXXII. In hac doctrina illud oportet advertere, quod istud argumentum malitiæ, vel bonitatis ex eventu secuto, non tam est augmentum ab actu exteriori in interiorem, vel e contra, quam respectu ipsiusmet actus exterioris in quo consideratur malitia, vel bonitas quam habet non solum ex ratione intrinseca, aut prædicatis constitutivis, sed etiam ex effectibus consecutis; et ita effectus consecutus etiam concludit ad bonitatem, vel malitiam augendam vel minuendam, inde vero in actu interiori volente, vel tendente in talem eventum, seu in illum actum adjuncto tali eventu consurgit major, vel minor malitia, aut bonitas, quatenus respicit actum illum cum tali eventu. Cum autem eventus consecutus pertineat ad effectum actionis, et effectus sit circumstantia quid, unico verbo, idem est quærere, an eventus sequens addat ad bonitatem, vel malitiam actus, atque quærere an circumstantia quid addat ad bonitatem, vel malitiam actus. Et non est difficultas quod addat, vel minuat, cum de circumstantiis etiam ratio ipsa dicet, et regulet illas.

XXXIII. Tota difficultas est, quomodo talis circumstantia quid, seu eventus futurus addat, vel minuat istam bonitatem, vel malitiam, et quid requiratur ut talis eventus addat, vel minuat illam. Nam D. Thomas distinguit de eventu præcogitato, vel non præcogitato. Et quando est præcogitatus, generaliter dicit, quod addit bonitatem, vel malitiam. Cui videtur concordare resolutio ejusdem D. Thomæ infra quæst. lxxiii, art. viii, ubi non solum quando est damnum intentum et prævisum, sed etiam quando est prævisum, et non intentum dicit

aggravare malitiam, licet si intentum sit directe aggravet, quando est prævisum, sed non intentum, indirecte: et hoc quod ibi distinxit D. Thomas hic compendio posuit unico verbo dicens, quod eventus sequens si est præcogitatus addit malitiam, includens ibi tam additionem directam, quam indirectam, licet verum sit quod in illa quæstione lxxiii, art. viii ad primum dicit, quod sicut supra dictum est cum de bonitate, et malitia exteriorum actuum ageretur eventus sequens si sit prævisus, et intentus addit ad malitiam, vel bonitatem actus. Quod verum est, sed non solum quando est intentus, sed etiam quando prævisus. Est tamen difficilis hæc doctrina propter multa nocumenta, quæ sequi possunt, et prævidenter in aliqua actione, nec tamen idcirco imputantur ad peccatum, si in illa actione utitur quis jure suo: verbi gratia si mulier pulchra scit se esse adamandam si exeat ad ecclesiam, aut si decenter se ornet, vel deambulet in horto, non tenetur ab his se abstinere propter malum eventum, qui inde sequitur. Si quis vendit agnum, et scit a Judæo emi ad sacrificandum, non tenetur illum non vendere: si quis se defendens videt alterum occidendum, non tenetur abstinere a defensione sua; et qui dat sacramentum peccatori occulto, aut qui contrahit matrimonium cum existente in peccato, non tenetur ab his se abstinere propter damnum, quod inde sequitur in altero, qui peccat ex tali actione. Ergo falsum est, quod si damnum est præcogitatum, seu prævisum, inde reddatur actus malus etiam indirecte, seu augeatur malitia.

XXVXI. Secundo est difficilis altera pars, quam tradit D. Thomas, nempe quod etiam si non sit intentum, aut prævisum nocumentum, si tamen per se, et ut in pluribus sequatur au-

get malitiam. Contra enim est, quod sollicitans feminam ad consensum stupri, facit actum ex quo per se sequitur mors spiritualis illius, et tamen ex hoc spirituali nocumento non aggravatur malitia procurantis, quia ille solum intendit delectationem suam, ideoque peccatum illud non habet aliam malitiam quam luxuriæ, non malitiam scandali, seu ruinæ spiritualis, quam tamen haberet si aggravaretur peccatum ex illa circumstantia damni consecuti, quia spiritualis ruina alterius non est aliud peccatum, quam scandalum, et sic esset gravius quam homicidium, quia gravius infert nocumentum, scilicet mortem spiritualem.

XXXV. Quod si dicatur non esse intentum per se primo illud nocumentum a procurante, et ideo non augere malitiam, nec pertinere ad speciem scandali, contra est, quia etiam fur non intendit per se primo nocumentum alterius, sed utilitatem propriam, et tamen illud nocumentum illatum auget, vel inducit malitiam. Similiter qui publicum peccatum facit, verbi gratia fornicationem etiamsi non intendat, nec prævideat nocumentum scandali, seu ruinæ spiritualis, vere tamen ex illa publicitate aggravatur peccatum illud in genere scandali; ergo similiter ex procuracione consensus mulieris ad luxuriam aggravabitur peccatum illud malitia scandali respective ad illam mulierem, quia per se ex tali procuracione sequitur illa ruina.

XXXIV. Tertio potest etiam oriri difficultas circa illud ultimum quod dicit S. Thomas non augeri malitiam ex documento per accidens, et in paucioribus secuto. Nam si ego videam ex actione mea sequi aliquod nocumentum ex alterius, vel mea fragilitate, et possum de facili talem actionem evitare teneor ex cha-



ritate evitare illam, verbi gratia videt mulier ex confessione sua cum parochio, vel alio sacerdote sequi in illo aliquem lapsum, et de facili potest alium adire, tenetur ex charitate non confiteri illi: videt quis ex tali cibo, aut potu, aut tali positione corporis sequi in somnis pollutionem, et non est pro nunc necessarius talis cibus, vel potus, aut talis modus cubandi, debet omittere. Et idem est si de facili potest mulier una, aut altera vice evitare egressionem suam a domo, cum sibi constet ab altero male adamari, tenetur ex charitate non egredi. Ergo falsum est, quod quando per accidens, et prout in paucioribus sequitur nocumentum non addat malitiam actui.

XXXVII. Ad primum respondetur D. Thomam loqui in sensu valde formali ut solet, nempe de eventu secuto ex aliquo opere quatenus fit ab ipso operante, quatenus ex interventione alterius causæ contingit, vel vitiatur, ita quod voluntas operantis non influit; hoc enim proprie et formaliter dicitur sequi ex aliquo opere, quod ex ipso quatenus a tali operante est sequitur, non quod in eodem opere interventione alterius causæ contingit. Et hunc sensum omnino significat S. Thomas in hac quæstione xx, articulo v, in illis verbis: « Cum enim aliquis cogitans quod ex hoc opere suo multa possunt sequi, nec propter hoc dimittit, ex hoc apparet voluntas ejus esse magis inordinata. » Ubi aperte loquitur de consecutione malorum ex opere illo suo, seu quatenus ab ipso, et ab ejus voluntate, quia dicit apparere ex hoc quod ejus voluntas est magis inordinata, quia videt mala sequi, nec propter ea dimittit. Loquitur ergo de eventu consecuto in quem influit voluntas. Et ratio est manifesta, quia nisi ille eventus sit voluntarius non potest esse pecca-

minosus, aut malitiam moralem habere, quia de ratione peccati est quod sit voluntarium: de ratione autem voluntarii, quod a voluntate sit, seu procedat positive, vel omissive. Ergo nisi ille eventus voluntarius sit, et procedat a voluntate, seu voluntas influat in illum, non poterit habere rationem mali moralis, ergo nec augere malitiam. Quando ergo talis eventus ex aliqua alia causa præter voluntatem operantis vitiatur, non habet vitium ut procedit a tali voluntate, ergo respectu illius voluntarium non est, et consequenter neque peccaminosum, vel malitiam augens.

XXXVIII. Unde patet responsio ad illa exempla in contrarium adducta, quæ nihil faciunt contra nos, quia in illis damnis, seu eventibus non tantum concurrunt, seu influit voluntas operantis, nec illa est causa talis malitiæ eventus, sed intervenit ab alia causa dans malitiam, voluntas vero operantis solum utitur suo jure, et sic prout a voluntate ista solum talis actio est juridica, non iniqua. Mulier enim quæ decenter se ornat, et ad ecclesiam vadit, vel ad aliam honestam actionem utitur jure suo, lapsus vero adamantis eam ex sua malitia nascitur, non ex mulieris provocatione voluntaria, nam si provocat pulchritudo, est aliquid naturale, et si cultus, aut ornatus decens, ille non est malus. Idem dicimus de vendente agnum Judæo, de se defendente, et occidente, de ministrante sacramentum recipienti indigne. Omnes enim isti suo jure utuntur, nec illi eventus ex influenza voluntatis suæ, sed voluntatis alterius malitiam habent, qui abutitur rebus illis, seu actionibus.

XXXIX. Ad secundam instantiam respondetur, quod persuadens ad peccatum non intendendo ipsum nocumentum alterius spirituale, sed

propriam convenientiam temporalem, respicit tale documentum ut per accidens, et non per se consecutum; tum, quia ab ipso non intenditur, et sic est præter intentionem, et per accidens; tum, quia non habet necessariam, et per se connexionem cum tali nocumento, sed debet intervenire alia causa dans totam malitiam, quæ est voluntas mulieris cui persuadetur, quæ est libera, et non infallibiliter ducitur a persuasionem, et non sequitur illud nocumentum per se, sed per accidens, ideoque juxta sententiam D. Thomæ non auget malitiam. Nec etiam illud peccatum est gravius homicidio, quia homicidium licet inferat solum mortem temporalem, quæ est minor spirituali, tamen actio homicidii per se solam infert illud nocumentum, sicque habet illud pro intento primario, et specificativo, quia est objectum ejus ipsa illatio mortis: mors autem spiritualis non est objectum specificativum, et per se intentum a procurante consensum feminæ, sed solum delectatio sua, et alias ex tali persuasionem per se, et immediate non sequitur mors spiritualis sicut ex actione occidendi, sed mediante libera voluntate mulieris, quæ persuasionem consentit, eo quod mors spiritualis est voluntaria, et ideo persuasio ad peccatum non est actio ex qua per se infallibiliter, et immediate sequitur talis mors, nec immediate, et necessariam connexionem cum illa habet, sed liberam et per accidens.

XL. Sed tunc instat aliud exemplum de scandalo consecuto ex actione peccati publici, nam etiam ruina eorum qui vident non consequitur per se, sed mediante libera eorum voluntate, et tamen aggravatur illud peccatum ex nocumento ruinæ alterius spiritualis, etiam si non sit prævisum, nec in-

tentum, ut docet S. Thomas quæst. LXXIII, articulo octavo citato. Eodem ergo modo se habebit sollicitatio feminæ ad struprum, solum enim est differentia, quod illa sollicitatio est ad unam tantum personam, publica autem actio ad plures.

XLI. Sed respondetur, quod licet utrobique influat in mortem spirituales, seu peccatum alterius eodem modo quantum est ex parte persuasionis, tamen ex actione illa publica sequitur per se aliud malum, scilicet scandalum ut S. Thomas citato loco docet; et ex sollicitatione feminæ ad luxuriam solum per accidens sequitur, quia ipsa ratio publicitatis in peccato, per se tollit unum ex retractivis peccandi, quod est verecundia, et indecentia, nam hoc ipso quod actio illa fit in publico, minus indecens, aut erubescibilis judicatur a videntibus, et sic magis provocantur, et irritantur ad illam, et cum minori fræno. Qui autem sollicitat feminam ad peccandum in occulto, hoc ipso proponit illam actionem ut erubescibilem, et indecentem, et ex hac parte retractivam a peccato, solumque ratione delectationis, vel utilitatis attrahere vult. Unde tota ratio et motivum ruinæ nascitur ex voluntate acceptantis delectationem non ex parte persuadentis per se loquendo, sicut per se nascitur ex publicitate peccati, quia hoc quod publice fit non valde æstimatur ut peccatum, et ut verecundabile.

XLII. Ad tertiam respondetur, quod in illis casibus nocumenta illa sequuntur per se moraliter ex illa actione, eo quod voluntas non habens indigentiam utendi aliquo ex quo videt sequi damnum vel effectum malum, virtualiter vult malum illud, quia debet potius velle bonum proximi vel suum, quam actionem qua ipse non indiget modo: sicut